



Dilectissimi Filii

Valde laetamur quod sextam editionem ostendere possumus operis cuius titulus est “*Atlas Hierarchicus MMX*”, qui, incohatus a dilecta Societate Verbi Divini, nunc per consociatam operam Secretariae Status, Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, Congregationis pro Episcopis, Congregationis pro Gentium Evangelizatione denuo editur.

Gratulari cupimus cunctis iis qui uno consilio studioseque dederunt operam ut haec editio sexta efficeretur, quae demonstrare vult quem locum hodiernis temporibus in terrarum orbe obtineat Ecclesia, compluribus permutationibus horum annorum consideratis, atque quam late illa sit prolata necnon quae novae exstiterint variis in Nationibus catholicae communitates.

Implicatum fuisse inceptum scimus et longe productum, quod ad geographicas tabulas potissimum attinet, sed maximi momenti effectum est opus, quod iuvare potest ut conspectus visusque habeatur catholicae praesentiae novarumque Ecclesiarum particularium, quae his annis sunt constitutae.

Itaque memori mente iis omnibus gratias referre volumus qui suam operam praestiterunt ut Atlas hic contexteretur, dum cunctis interea Apostolicam Benedictionem, veracem perennis benevolentiae Nostrae testem, ex animo elargimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die I mensis Aprilis, feria quinta in Cena Domini, anno MMX, Pontificatus Nostri quinto.

*Benedictus PP. XV.*